



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino
Lugduni, M. DC. LXXX.**

8. An omnia, quæ habentur in iure Canonico obligent, & habeant vim legis? Et notatur, quod præcepta Conciliorum Prouincialium obligabunt Prouinciam, ad quam spectant: testimonia de rigore Patrum, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

De Legibus. Resol. VIII. & IX.

5

luntaria, ac propterea non potuit inducere præceptum. Vnde à fortiori constat, quid de Oratione ad Virginem per Salutationem Angelicam, vel per Antiphonam, *Salve Regina*, dicendum sit. Nauarrus enim supra saltem de *Aue Maria*, idem sentit, sed nullum speciale adducit fundamentum, neque oportet imponere obligationes non satis fundatas. Est ergo consulendum omnibus, ut has Orationes discant, & sapienter recitent, non verò est peccati scrupulus iniiciendus per solam huiusmodi omissionem. Si quis autem sit adeò negligens animæ suæ, ut hæc rudimenta Christianæ vitæ ignoret, vel nunquam recitet, magnum indicium est, ipsum non rectè vivere, etiam si omisi illa speciale peccatum non sit. Secus verò esset, si quis aliis Orationibus assuefactus, has non diceret, nam in illo talis omisso, nec esset peccatum, nec signum periculose negligentiae, vel obliuionis salutis suæ.

4. Solum posset quis dubitare de consuetudine salutandi Virginem, quando publicum signum datur in principio noctis, an tunc dicere cadat sub obligationem peccati, saltem venialis; videtur enim hæc consuetudo tam generalis esse, ut hanc saltem obligationem indicat. Sed in primis non credo tunc esse obligationem orandi vocaliter, nam priuata est oratio, & potest quis satisfacere orando mente. Item etiam i quis ore voce, non cogitur ad certam formam orandi, verbi gratia, per *Aue Maria*, vel *Salve Regina*, &c. Sed potest dicto aliquo Hymno, vel pro sua vniuersique deuotione orare, Deinde absolute, & per se non credo esse obligationem orandi tunc ad Virginem, nam illa consuetudo generaliter recepta est sub ratione deuotionis, non obligationis. Dico autem, per se, quia ex accidenti, & ex concomitantia vix potest omitti sine aliqua culpa, nisi ex rationabili causa. Nam si quis publicè illam omittat, aliquod scandalum præbet, & alios perturbat, periculumque est, ne videatur illam contemnere. Si autem omittat priuatè, & sine causa, non fiet sine aliqua otiositate, vel ex nimio affectu ad aliquam commoditatem humanam, vel quid simile. Et hæc omnia docet Suarez, *vbi supra*. Et de Salutatione idem sentit Rocafoll, *vbi supra*, disp. 2. c. vlt. n. 83, vbi contra Nauarrum firmat cum Suarez, ignorantem Salutationem Angelicam non peccare, quia non est obligatio eam sciendi.

RESOL. VIII.

An omnia, quæ habentur in Iure Canonico, obligent, & habeant vim legis?

Et notatur, quod præcepta Conciliorum Provincialium obligant Provinciam, ad quam spectant testimonia de rigore Patrum, quæ non sunt ex se leges obligatoria. Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 26.

Sup. hoc in Res. sup. h. g. 1. R. Espondeo negativè. Nam circa ius canonicum notare oportet, cum in corpore iuris habeantur plura desumpta ex Conciliis Provincialibus, & alia ex sanctis Patribus, Augustino, Ildoro, & similibus, non omnia, quæ in eo continentur, obligare omnes, aut habere vim legis; nam solus Pontifex, & Concilium generale ab eo approbatum habet vim obligandi vniuersam Ecclesiam; præcepta verò Conciliorum Provincialium obligant Provinciam, ad quam spectant testimonia de rigore Patrum, quæ non sunt ex se leges obligatoria. Itaque cum Gratianus fuerit horum collector, & ipse non habuerit auctoritatem condendi leges, non potuit his Conciliis, & Patribus maiorem auctoritatem, & vim tribuere, quam ipsi habebant. Vnde etiam constat minus obligatorium esse, quod Gratianus addidit de suo, ut interdum addere solet. Imò licet aliquid referat tanquam dictum Tom. VI.

ab aliquo Concilio, vel Papasi aliunde constaret non fideliter referri, aut esset res omnino dubiæ auctoritatis, non esset obligatio illi parendi. Et hæc omnia docet Iacobus Granado in *part. 2. D. Thomæ, contr. 7. tr. 3. part. 1. disp. 3. sect. 7. n. 17*. vide etiam Suarez, *de legibus lib. 4. c. 5. n. 5*. Gresserum *pro defensione Bellarmini lib. 2. de Romano Pontifice, c. vlt. Rodrig. in qq. Regul. tom. 1. q. 6. art. 2.* & alios penes Rodericum Acugna in *progym. decreti Gratiani n. 19.* & Augustinum Barbosam n. 6.

RESOL. IX.

An decretum Gratiani habeat vim legis? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 68.

§. 1. Hæc quæstio pro præxi multum deseruiet non solum Iuris peritis, sed etiam Casuistis, & Theologis, & affirmatiuam sententiam mordicus tenet noster Pater Molfesius in *sum. tom. 1. tr. 9. c. 5. n. 73*. vbi sic ait. Canonistæ tenent indubitanter Decretum Gratiani habere vim legis. Ita Glossa in *c. noli, dist. 9.* eo quod Gelasius Papa approbauerit tale Decretum. Alij, quod Eugenius III. approbauit omnia contenta in Decreto, & quod licet non constaret expresse de huiusmodi approbatione, communiter tamē Canonistæ, & Legistæ omnia contenta in prædicto Decreto allegantes, tanquam leges, & sic illis vtuntur in decisionibus causarum, & hæc opinio mihi probatur, quia in prædictis magis statuit Iuristis, quam Theologis, tum, quia vulgatum est axioma. In vtroque iure satis est allegare titulum, & probare possessionem: & hic supponitur, & allegatur titulus approbationis, & adeit possessio plus quingentorum annorum, dum Gratianus Monachus sancti Felicis Bononiensis, Ordinis S. Benedicti, vt aiunt, anno 1009. compilauit Decretum, & ab illo tempore vsque ad præsens, semper Legistæ, & Canonistæ iudicarunt adesse talem approbationem, & tanquam sacris Canonibus vsi sunt, etiam diffisi Sanctorum, quæ inibi Gratianus inseruit. Tum etiam, quia consuetudo dat iurisdictionem, & vim obtinet legis. Additur, quia varij Summi Pontifices iusserunt emendationem eiusdem Decreti, vt iam vltimo loco Gregor. XIII. illud iussit emendari, & corrigi, facta collatione cum originalibus, ex quibus Gratianus desussit omnia, & sic emendatum iusserit excudi. Igitur ad minus est continuata tacita cõcessa auctoritas, & successiue iure negari non videtur, ut vim legis non habeat. Huc vsque Molfesius, & testimonia sanctorum Patrum in dicto volumine Decreti inserta habere vim legis, dummodo in contrarium aliqua dispositio Pontificia non appareat, tenet Barbosa in *Proem. d. Decret. n. 7.* vbi citat plures DD.

2. Verum ego alibi contrariam sententiam docui, & Alibi in ref. nunc iterum doceo, & ita docent communiter Theologi, inter quos præcipue videndus est Salas *de legibus tr. 1. 4. disput. 8. sect. 13. per totam*. Hanc etiam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 12. n. 4. Valentia tom. 3. q. 6. disp. 6. de voto, punct. 6. Sotus de iust. lib. 7. q. 3. art. 1. Caietanus in 2. 2. q. 88. art. 8. dub. vlt. ad 1. Maior in 4. dist. 27. quest. vlt. §. dubitatur an is.* Suarez *de legib. lib. 4. cap. 5. n. 6.* Granado, vt ego alibi notauimus in 1. 2. D. Thomæ *controu. 7. tr. 3. part. 1. disp. 3. sect. 2. n. 17.* quibus adde Villalobos in *sum. t. 1. tr. 2. difficult. 7. n. 3.* vbi sic ait. Los Canones que estan en el Decreto, no son leyes de Pontifices, ni de otro que tēga autoridad de hazellas, sino recopilolas Graciano, y no fue aquel cuerpo aprobado por algun Pontifice, y no es autentico. Contiene pues este Decreto autoridad de muchos Santos, y de algunos Concilios Provinciales; otras del mismo Graciano, otras de Palea, que fue vn discipulo de Graciano, y otras son leyes ciuiles que estã alli insertas; y todo esto no tiene mas autoridad, que aquellos Santos, & Concilios de don-

A 3